LACRUMÆ
TUMULO
ADMODUM REVERENDI CLARISSIMI, DOCTISSIMI

Dn. SIMONIS WEISS,

Ad D. MARIÆ THORUN.

Ecclesiastæ,

29. Annos Vigilantissimi

Inspersæ

Ao. 1688. d. 25. Febr.

THORUNII imprimebat Christianus Bekk, Gymn. Typ.

Sarcophagi rabies rapuit velociter, eheu!
Illuſtrem, magnumq; Virum, noſtrumqve Patronum.
Candidus en moritur WEISS, id candoris agalma
Ingenuæ ſemper ſparſit qvi ſemina mentis.
Exſtiterat qvi divini decus ordinis ingens
Cui fuerat ſanctæ non os ignobile Svadæ.
Pallados hic docuit celſo de ponte cathedræ
Artes, ſtillavit præcepta in Gymnadis aures.
Nunc, Patrone, jaces miſerandum & flebile funus,
Jam mutum eſt ſine voce caput: jam lingva rigeſcit:
Jam Tua forma perit, niveaqve in fronte ſerenus
Ille decor, cunctis animus propenſus, & altæ
Emeritus cervicis honos, ac omnia tecum.
Spargite jam foliis tumulum, indite fontibus umbras
Paſtores mœſti, fieri ſibi talia mandat

WEISS,

WEISS, etiam in Templis fuit, usqve ad sidera notus,
Divini cœtus custos, divinior Ipse.
Ast ego qvid faciam crudeli vulnere tactus,
Scilicet egregii deflenda morte Patroni?
In miseros ibo numeros lacrymasq; perennes,
Et fatô lapsum, nil jam cælestibus ullis
Debentem, mœstus justo comitabor honore;
Convenit atqve seqvens tumulo superaddere carmen:
Laudibus immensis victor super astra locatus,
Qvo mea me præstans animi constantia vexit.
Hostilem pressi terram, jam morte peremptus
Cælicolis jungor. *Sic, sic juvat ire per astra.*

Hæc in honorem Evergetæ
sui lugens scripsit

Godofredus Schincke/
Fraustadio-Polon.

Cùm sub vexillis duris sua nomina scribit
Bellator, qvando figere castra cupit.
Se fore constantem ac hostem superare cruentum
Sanctè promittit pectore & ore Duci.
Post debellatum in campo feliciter hostem
Herculeum, si se præstit ense, Virum.

Tunc

Tunc clarum munus datur, & pretiosa corona,
Qvam virtute sibi conciliavit, ei.
Tale etiam diadema gerit jam Weissius, *ejus*
Qvod DEUS *omnipotens imposuit capiti.*
Ob longum in cœtu sacro nimiumq; laborem,
Ipsi qvem injunxit dextera sancta DEI.
Forti qvòd multos animô perferre dolores
Inveniebatur, multaq; passus erat.
Propter victricem mentem victrix qvoq; palma
Huic offertur, qvam porrigit axe DEUS.
Sedibus ætheriis nunc utitur ipse Beatus,
Occupat & lætus regna superna poli.
Hic verò Conjux, Nati ejus funera mœrent,
Inq; domo lacrymas angulus omnis habet.
Qvocunq; adspicio luctus, gemitusq; sonare
Audio, qvòd cecidit firma columna Domus.
Vestra qvid idcirco fletu nunc ora rigatis,
Perq; sinus lacrymæ fluminis instar eunt?
Ex hac qvòd vitâ discessit, & atria cœli
Intravit? satis est. Vos manet hæcce dies.
In qva cum sanctis cunctis lustrabitis illum,
Gaudia cumq; illis percipietis ibi.

Mœstus adjecit

Adamus Deutschmann,
Fraustadio Polonus.

Hoc

Hoc, hoc, qvid? Stupeo! Concurrunt undiq; cives
Plorantes spirant voce qverente sonum.

Eheu! Dî ramos tristis sparsere Cupressi,
Qveis Domus est Clari mœsta repleta Viri.

Miræ sectus apex doctrinæ falce cruentâ.
Sæva Caput doctum non Libitina fugis!

Viva fuit cunctis hic Bibliotheca celebris
Vir, Speculum recti, nec probitate minor.

Inculcans populo divi mysteria verbi,
Monstravit qvæ nos ducit ad astra viam.

Christicolas docuit Juvenesq; Senesq;, supremi
Auxilio Flatûs, dogmata vera DEI.

Cordatos homines vitâ decoravit honestâ,
Cœlitus indixit grandia damna malis.

Felix, in portum qvem sævus pertulit Auster!
Felix, fata novis qvem rapuere malis!

Turbinibus variis à portu sæpe retrorsum
Flectimur. Huic Nautæ janua aperta poli.

Hic pressi curis, ut flos, marcescimus omnes,
Illic nos dulci Christus amore colet.

Cur jam Lugentes animum mordente dolore
Excruciant? Potius fata benigna prece

Solli-

Sollicitent. Calcanda eadem est & semita nobis,
Cum volet Omnipotens inde seqvemur eam.
Alme DEUS Viduæ lacrymas absterge potenter,
Tristibus & Natis da bona cuncta Pater.

Dolens apposuit

Samuel Müller,
Fraust. Pol.

SIMON WEISSIUS.

Per Anagramma.

SI MISSUS, VENIO.

Qvæ placuêre DEO, rexit dùm Spiritus artus
Nunqvam non poterant complacuisse mihi.
Cui curæ qvâ vita fuit qvâ clausula vitæ,
Et causa certè nulla ferenda levi.

Ordine

Ordine qvi justo disponit singula, cœli
Cœlorum, qvicqvid fastus & Orbis habent.
Hunc qvocunq́; fui missus, sum sponte secutus.
Unum velle fuit Numimis atq́; meum.
Corporis, hinc SI MISSUS eram, mentisq́; ferendis
Ponderibus, veni subjiciens humeros.
Non metuens Syrtes, rapidas mariumq́ve charybdes
Artes sectabar longius ingenuas.
Intrepidus qvas in Templisq́; Scholisq́ve docebam
THORUNII, donec pallida mors aderat.
Sed cathedram Me cœlestem qvia scandere Numen
Æternum jussit nunc properans VENIO!
Namq́ve diu Tecum sociari corde cupivi
Mundi tam fragilis gaudia despiciens.

Intera

Intera Tu cognatis solatia ferto
Jam mihi qvi dicunt ore dolente, VALE!

Paucula hæc mœstus adjiciebat.

Jeremias Pohlius,
Fraustad. Polon.

